Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26564
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ne des auditum tuum lingue detractoris. neque linguam auditum tuam uituperare amantis. libenter loquens et audiens contra uicinum. ut non excidas a diuina caritate et alienus inuenaris eterne uite.

Noli suscipere contra patrem tuum maledictum. neque proximum tuum facias inhonorantem illum. ut non irascatur dominus in operibus tuis et disperdat te de terra uiuentium.

Obstrue os detrahentis in auribus tuis. ut non duplex peccatum cum eo pecces. et teipsum pernicioso uitio assuefaciens. et illum contra proximum nugari non interdicens.

Ego autem dico uobis ait dominus. diligite inimicos uestros. benefacite his qui oderunt uos. orate pro persequentibus uos. Utquid hoc precipitur? Ut te ab odio et tristicia et ira necnon mali memoria liberet. et maxima possessione perfecte caritatis ditare dignetur? Quam habere inefficax et inpossibile est eum qui non diligit equaliter omnes homines. secundum imitationem dei uolentis omnes homines saluos fieri. et ad agnitionem ueritatis uenire.

Ego autem dico uobis non resistere malo. sed si quis te per